DE

TEMPORE ET AUCTORE LIBELLI QUI INSCRIBITUR *πόροι*.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT ATQUE

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM GOTTINGENSIUM ORDINIS

FORAS DAT

JOANNES KANITZ,

Pomeranus.

DRAMBURGII, M. SEPTEMB. A. MDCCCLXXIII.

TYPIS A. ROSTII.

FRIDERICO HENRICO HENNICKE,

PHILOSOPHIAE DOCTORI, GYMNASII CUSSALINENSIS OLIM PROFESSORI,
NUNC QUATZOVII OTIO LITTERATO FRUENTI,
MAGISTRO SUO HONORATISSIMO,

ET

JOANNI DAVIDI KANITZ,

SCHOLAE PRIVATAE OLIM RECTORI,
AVUNCULO CARISSIMO,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

UT GRATUM ANIMUM SIGNIFICARET

DEDICAVIT AUCTOR.

Quaestio de auctore libelli *Πόροι* inscripti pauci demum anni sunt cum vehementius in controversiam vocari coepta est. ad id enim tempus omnes qui hanc rem diligentius perscrutati erant cum veteribus scriptoribus Athenaeo (vol. II, p. 543 Schweigh.), Menandro (*περὶ ἐπιδεικτικῶν*, Rhett. gr. ed. Walz., vol. IX. p. 161), Diogene Laertio (II, 57) de Xenophonte auctore consentiebant. quod nostro saeculo, ut gravissimos modo nominatim afferam, fecerunt Weiskius (ed. 1804, vol. VI, p. 90 sqq.), Schneider (ed. 1838, vol. VI, p. 143 sqq.), Delbrueckius (Xenophon. 1829), C. G. Krueger (de Xenophontis vita. Histor.-philol. Studien. 1851. vol. II, p. 262 sqq.), Boeckhius (Staatshaush. d. Athener ed. II, vol. I, p. 777 adn. c.), Sauppius (ed. Bernh. Tauchn., vol. I et V praeff.).

Onckenius autem in libro „Isokrates und Athen" (Heidelberg. 1862, p. 96 sqq.) primus a Xenophonte hunc librum abiudicandum esse contendit. consentiunt Hagenius (Eos II_2, p. 149—163), Ernestus Curtius (griech. Gesch. vol. III, p. 779 adn., ed. 1867).

de tempore quo liber scriptus sit veteres scriptores nihil tradunt, recentiores autem investigatores mirum in modum fluctuant interque se dissident. Weiskius eius confectionem in ol. 89,3, Krueger in ol. 106,2, Boeckhius, Sauppius, alii in ol. 106,1 ponunt; Delbrueckio vero probabile visum est librum scriptum esse haud multum post pugnam Mantineensem, Hagenio et Ernesto Curtio post pacem Philocratis.

praemissis eis quae praemittenda mihi videbantur iam ipse quaestionem instituam et id quidem ita, ut

I. de rebus libro nostro memoratis,

II. de sermonis indole

disputans et quo tempore opusculum de vectigalibus scriptum sit et utrum pro Xenophonteo possit haberi necne diiudicare coner. —

Caput I.

De rebus libro nostro memoratis.

In hac disputationis parte videtur mihi disserendum

§ 1. de praeteritis quarum auctor mentionem facit rebus,

§ 2. de rei publicae Atheniensium qui tum erat statu.

fugiunt me nequaquam difficultates, quas Weiskius quidem tantas iudicavit, ut lamentationes quasdam propemodum absurdas non retineret atque vehementissime veteres scriptores vituperaret, qui ambiguum aut prorsus incertum reliquissent quo tempore quemque librum et maxime talem qualis esset liber *περὶ προσόδων* scripsissent. itaque nihil est quod magis cupiam quam ne a vero aberrem neve offendam, quod quidem eodem Weiskio auctore tantis in tenebris mirum non esset.

§ 1. De praeteritis quarum auctor mentionem facit rebus.

Inter eos locos in quibus temporis notae insunt sine dubio gravissimi sunt IV, 40 et V, 12. quod quamquam omnes qui de hac re quaesiverunt recte intellexerunt, tamen ad quae facta referendi ei sint, de eo longe dissentiunt. audiamus igitur diversas sententias.[1])

Delbrueckius aliique, qui cum aliis tum his locis usi libellum nostrum post pugnam Mantineensem et ante bellum sociale scriptum esse contenderunt, recte et a Boeckhio, quocum plane consentit Sauppius, et ab Hagenio[2]) convicti mihi videntur. Boeckhius enim demonstrat libro conscripto anteiisse bellum et pacem qua mare pacatum redditum sit, ut pax post pugnam ad Mantineam commissam nullo modo illis verbis significetur. Hagenius novum argumentum hoc addit ex locis V, 5 et V, 8 dilucide apparere summam imperii Athenienses amisisse, quod ante belli socialis exitum auctor dicere non potuerit.

opinione prima rationibus prorsus probabilibus refutata ad ipsius Hagenii sententiam ponderandam transeamus. atque hic quidem in locis IV, 40 et V, 12 quae pax commemoratur eam non esse unam eandemque sed duplicem ac diversam contendit, illam ad terram et mare, hanc ad mare tantum pertinentem. diligentiores eius considerationes, quibus omnem de diversitate differentiaque utriusque pacis dubitationem tolli affirmat, quae singulae a me examinentur dignas existimo.

---

[1]) Weiskium et Schneiderum neglegere me posse arbitror, cum quod Weiskio hac de re placuit iam a Schneidero satis refutatum reperiam, ipsi autem Schneidero vel post ol. 106, 2 vel ante ol. 108, 2 vel ol. 107 exeunte liber scriptus esse visus sit.

[2]) l. c. p. 150.

Hagenius igitur [1])

„1) V, 12 legitur, inquit, a n t e pacem hoc loco commemoratam vectigalia propter bellum gestum ex parte exigi non potuisse, exacta autem o m n i a variis impensis esse consumpta.

at contra ex loco IV, 40 apparet ex tempore a n t e pacem factam pecunias s u p e r e s s e, quae ut in administratione rei publicae anno proximo impendantur auctor suadet.“

his respondeo:

locum V, 12 recte interpretatur Hagenius. quod autem attinet ad locum IV, 40 me non intellegere confiteor, quibus auctoris verbis ille sit adductus, ut de pecuniis quae ex tempore ante pacem factam superessent loqueretur.

Gailius interpres Gallicus verba:

„εἰ δ'αὖ διὰ τὰς ἐν τῷ νῦν πολέμῳ γεγενημένας εἰσφορὰς νομίζετ' ἂν μηδ' ὁτιοῦν δύνασθαι εἰσενεγκεῖν, ὑμεῖς δ'ὅσα μὲν πρὸ τῆς εἰρήνης χρήματα εὕρισκε τὰ τέλη, ἀπὸ τοσούτων καὶ τὸ ἐπιὸν ἔτος διοικεῖτε τὴν πόλιν“ sic in Latinum convertit:

„quod si rursus existimatis ob tributa in nupero bello exacta ne tantulum quidem posse contribui; sane quantum ante factam pacem vectigalia reddebant, tantum in administratione rei publicae anno proximo impendite“ (eh bien! que l'Etat borne sa dépense de l'année suivante au revenu qu'il percevait alors). [2])

mihi eis verbis ne minimum quidem contineri videtur quod V, 12 contradicat. ante pacem, h. e. in bello, vectigalia quae debebant non omnia redibant (*διὰ μὲν τὸν πόλεμον καὶ τῶν προσόδων πολλὰς ἐκλιπούσας*), ea autem quae redibant in varias res impendebantur (*καὶ τὰς εἰσελθούσας εἰς παντοδαπὰ πολλὰ καταδαπανηθείσας* V, 12). IV, 40 suadet auctor, ut insequente anno res publica tanta pecunia administretur quantam ante factam pacem vectigalia reddiderint. quid aliud his verbis suadet quam ut parsimonia quadam cives utantur in rei publicae administratione?

V, 12 igitur paupertatis publicae causae deteguntur, bellum atque parva in pecuniis conservandis fides necessario cum eo coniuncta. IV, 40 civibus consilium datur, ut sumptu quam minimo usui publico provideant. utroque loco pro certo affirmat auctor quin maiores reditus ex pace praesenti aliisque institutis rei publicae proveniant fieri non posse. quid tandem in his discrepantiae? ubi superesse pecuniam scriptum est?

sed pergit vir doctus:

„2) post pacem, cuius mentio fit V, 12, a u c t o s e s s e reditus scriptor tradit, IV, 40 f o r e, u t p a c e a u g e a n t u r, s p e r a t“.

haud dubie auctor noster V, 12 reditus auctos esse dicit. sed IV, 40 sperare eum fore, ut pace demum augeantur, id ipsius verbis exprimi non intellego. nam verba *ὅσα ἂν ἐφευρίσκῃ* de praesenti tempore interpretanda sunt, non de futuro. [3]) est pax et simul cum pace facta reditus augeri coepti sunt. ea quae sequuntur *προληπτικῶς* dicta existimo: oratorum modo auctor ea quae

---

[1]) p. 151.

[2]) *εὑρίσκειν* Steph. th. (ed. Par.): „et in universum de quaestu lucroque faciendo,“ lex. Xenoph. (Sturz.) = conficere, reditus et quaestum afferre, efficere summam, lex. Passow. *εὑρίσκειν* Xen. Vect. IV, 40 = einbringen, eintragen.

[3]) sic etiam Christianus interpres Germanicus.

efficienda civibus proponit iam effecta cogitatione sibi fingit, ut de eo quod est et de eo quod fieri vult pari modo praesenti tempore usus dicat. IV, 40 non sperat auctor sed quod sperat effectum ei videtur.

tertio qui sequitur loco et ex verbis χρῆσθαι ὅ,τι βούλοιντο perfectique forma ηὐξημένας et ex redituum post pacem auctorum mentione efficiendum esse Hagenius contendit inter pacem V, 12 commemoratam et librum conscriptum longum intercessisse intervallum. quod ni ita esset, sed praesentia tempora si respexisset auctor, ὅ,τι ἂν βούλωνται scripturum eum fuisse. e contrario pacem, de qua IV, 40 agatur, eam describi, quae statim ante libellum compositum facta sit. illam igitur pacem praeteriti, hanc praesentis temporis esse.

cui Hagenii explicationi haec opponenda esse videntur mihi:

1. verbum γεγένηται (V, 12) indicat pacem paulo ante factam nunc quoque extare, cum haud multum discrepet γεγένηται ab ἐστί.[1])

2. Hagenii sententiam auctorem nostrum reditus auctos esse dicere non potuisse, nisi a pace facta usque ad illud tempus quo libellum conscripserit longum intervallum intercessisset, veram amplecti non possum. sensum auctoris rectius interpretari mihi videor contendens praedicare eum simul cum pace inita reditus incrementum cepisse. quod neque a vero discedere neque ab auctoris opinione per totum libellum pacis laudatorem nimium sese praebentis abhorrere existimo. [2])

3. pro ὅ,τι βούλοιντο Dindorfius an iure βούλονται legi iubeat nescio.

ex eis quae supra a me disputata sunt sequitur, ut etiam in eo quod verbis V, 12 ἐν τῷ νῦν χρόνῳ in universum tempora praesentia, in quae auctoris aetas inciderit,[3]) significari putat, cum Hagenio sentire nequeam. quae commemorantur ad nuperrime facta pertinent.

uterque locus, cuius differentiae non scriptor sed eius interpres Hagenius auctor esse mihi videtur, in consensu concentuque est. utroque enim belli nuper gesti (IV, 40: ἐν τῷ νῦν πολέμῳ. V, 12: ἐν τῷ νῦν χρόνῳ διὰ μὲν τὸν πόλεμον), pacis factae (IV, 40: πρὸ τῆς εἰρήνης, διὰ τὸ εἰρήνην εἶναι. V, 12: ἐπεὶ δὲ εἰρήνη κατὰ θάλατταν γεγένηται), redituum comminutorum bello, pace auctorum mentio fit (IV, 40: εἰ δ' αὖ διὰ τὰς ἐν τῷ νῦν πολέμῳ γεγενημένας εἰσφορὰς νομίζετ' ἂν μηδ' ὁτιοῦν δύνασθαι εἰσενεγκεῖν — ὅσα δ' ἂν ἐφευρίσκῃ διὰ τὸ εἰρήνην τε εἶναι. V, 12: ηὐξημένας τε τὰς προσόδους).

ab Hagenio ad Boeckhium progrediamur. docet hic inter locos IV, 40 et V, 12 nullam intercedere discrepantiam. pacem utroque loco commemoratam non esse illam post proelium Mantineense factam, certo eam, quae ol. 106, 1 bello sociali finem imposuerit. eo enim bello in primis res civitatis Atheniensis esse inclinatas reditusque perturbatos, pace autem secuta mare tutum redditum.

---

[1]) cf. Matthiae, gr. Gramm. II, p. 937: „Das Perfectum drückt dagegen eine zwar an sich völlig vergangene Handlung aus, die aber entweder selbst oder in ihren Folgen oder den sie begleitenden Umständen mit der gegenwärtigen Zeit in Verbindung steht, in der gegenwärtigen Zeit noch fortdauert". — Bernhardy, Wissensch. Syntax p. 378: „Als das Präsens der vollendeten Handlung geht das Perfectum in beiden alten Sprachen so vielfältig in das gemeine Präsens über" etc.

[2]) Hagenius quamquam hoc loco negat tam brevi tempore post pacem factam reditus auctos esse, tamen fieri hoc posse in ipsius sententiae gratiam concedit et re vera factum esse confirmat. cf. p. 158: „durch die in Folge des Friedens" sqq.

[3]) „die selbstdurchlebte Gegenwart" (p. 152). similiter Delbrueckius p. 139 adn.

consentire locos iam in Hagenii sententia examinanda demonstravi. sed nondum otium concedit Hagenius etiam ex verbis κατὰ θάλατταν argumentum ad defendendam ipsius sententiam ducens. liquere dicit pacem V, 12 ad mare tantum pertinuisse, consentit cum Boeckhio esse pacem finito bello sociali factam, eam vero pacem, cuius IV, 40 mentio fit, terrestri et maritimo bello finem fecisse ex locorum IV, 42—48 natura plane manifesto apparere contendit[1]). quod nego. sum enim huius sententiae ex IV, 42—48, ubi auctor consilia dat ad gerendum vel potius evitandum bellum idonea, illud modo colligi posse Athenienses quo tempore auctor scripsit terra marique in pace fuisse. nam 1. de bello scriptor verba facit ut occasione oblata erupturo (εἰ πόλεμος ἐγερθείη, IV, 41), 2. bellum et terrestre et maritimum respicit. maritimum autem bellum eam pacem esse secutam ex V, 12 (εἰρήνη κατὰ θάλατταν) liquet. nonne vero pax post navale bellum facta sufficiat ad terram quoque pacandam, nempe si terra in belli periculis non est versata? quod dum bellum sociale durabat terrae Atheniensium contigisse videtur.

acquiesco igitur in Boeckhii interpretatione, ut quae legibus grammaticis satisfaciat, contemno Hagenii sententiam indagantis discrepantiam, ubi ego nullam reperio. historiae quoque quod Boeckhius statuit non repugnare et ipse probavit et procedente libello a me demonstrabitur.

non minoris momenti ad explorandam libri aetatem quam IV, 40 et V, 12 videtur esse locus V, 9, de quo itidem in diversas partes a viris doctis dissertum est.

namque Boeckhius probabile reddere studet auctorem ante bellum sacrum exortum h. e. ante ol. 106, 2 scripsisse. res Delphici oraculi optime enarrat. verba οἵτινες..... ἐπειρῶντο spectare dicit ad Thebanos principes amphictionum conatos sibi vindicare templum. Phocensium, qui aliquam ob causam de iure praefecturae templi olim arrogato destiterint, conatus novo impetu ol. 106, 2 in templum recuperandum paratos ignorare scriptorem nostrum existimandum esse.

Krueger:[2]) „imminebat, inquit, bellum sacrum quamquam nondum eruperat." ad verba οἵτινες..... ἐπειρῶντο haec adnotat: „itaque equidem Boeotos significatos puto, quos cum Phocenses, ut societatem cum ipsis facerent, coegissent, non solum amphictionum concilia pro rationibus suis moderatos sed templum dicionis suae facere conatos esse veresimile puto: quam et ipsam belli sacri causam fuisse suspicari licet. atque hoc bellum quo tempore Xenophon librum de reditibus scripsit Phocenses iam meditatos esse e verbis μὴ συμπολεμοῦντες collegerim. fortasse iam Athenienses clam ab iis ad societatem invitati erant. itaque liber compositus est ol. 106, 2 quo anno bellum sacrum motum esse Diodorus testatur."

Cobetus[3]) de loci huius interpretatione in hunc modum disputat, ut Boeckhii sententiam, quam sequitur, nova coniectura a Buechsenschuetzio quidem laudata fulciat sustineatque. statuit Phocenses templum bis occupasse ol. 105, 4 et 106, 2, ut verba Xenophontis anno post priorem occupationem scripta videantur, cum illi templum reliquissent et nova belli semina sparsa essent. sic ea quae a Diodoro et Pausania traduntur et inter se et cum nostro loco coniungi posse putat.

---

[1]) p. 151.

[2]) Stud. II, 283.

[3]) Novae lectt. p. 755—767, cuius libri quod copia mihi non erat aegre fero. cf. Philol. XXIII, p. 656 sq., Sauppii praef. V, p. 193 (Tauchn.)

Schaefer [1]) verbis *οἵτινες.....ἐπειρῶντο* Thebanos significatos existimat nixus Demosthenis *περὶ παραπρεσβείας* § 21 his: „*Θηβαίων τῶν βουλευσάντων τὴν κατάληψιν τοῦ ἱεροῦ.*" belli sacri initium ponit in ol. 106, 1 [2]). Delphis a Phocensibus nondum occupatis quidem, sed eruptis iam inimicitiis librum de vectigalibus esse scriptum. [3])

Hagenius denique omnes eas interpretationes contemnens se unum verum vidisse docet [4]). consentit cum aliis in eo quod Thebanos verbis *οἵτινες.....ἐπειρῶντο* dictos putat, dissentit ab omnibus de tempore. Cobetum plus quam historiae fides ferat ausum esse contendit [5]). extremo Scirophorione ol. 108, 2 post bellum Phocense pace Philocratis finitum auctorem librum scripsisse.

cum non adeo ego opinionibus sim inflatus, ut in hac re difficillima deque qua semper fortasse apud iudicem lis erit ultimum momentum facere velim, contra Hagenii sententiam haec tantum pensitanda iudicio legentium propono:

1. cum scriptore nobis res est qui quae commemorat coram viderit cuiusque auctoritas pluris aestimanda sit quam scriptorum posteriorum,

2. Diodorus et Pausanias neque principales fontes sunt neque certi fidique, cum saepissime eis quae tradita acceperant confuse parumque diligenter usi sint. [6]). tantum ea quae a Diodoro et Pausania facta commemorantur re vera esse facta credamus? non plus, non minus?

3. cum iam perlustrando locos IV, 40 et V, 12 consentiens cum Boeckhio constituerim — quod § 2 uberioribus rationibus probaturus sum —, quo tempore liber noster conscriptus sit, non ita magni ad finem nostrum referre mihi videtur, utrum Cobeti coniecturam et scriptoris nostri et Diodori Pausaniaeque auctoritatem conservantem comprobemus, an assentiamur Boeckhii aut Schaeferi sententiae.

4. subdubito, num verbum *ἐπειρῶντο* recte legatur, quia non intellego cur de praeterita re tecte et obscure scriptor locutus fuerit. Gailio auctore optimus cod. Par. *ἐκπειραντο* dat.

breviore quam de rebus sententiisque supra explicatis disputatione opus est de locis III, 7, IV, 14, IV, 25, V, 6—7, quibus nihil contineri quod ipsius sententiae contradiceret Boeckhius non obloquente Hagenio demonstravit. auxilium enim Arcadibus Lysistrato duce ab Atheniensibus latum est non ante ol. 103, 3, [7]) quod de Hegesilao narratur pertinet ad ol. 104, 3. quae V, 6—7 commemorantur res partim in ol. 100¾ partim in ol. 102, 4 cadunt. etiam IV, 14 ubi Niciam, [8]) qui

---

[1]) Demosth. I, p. 447.

[2]) l. c. p. 449.

[3]) M. P. Foucart (Mémoire sur les ruines et l'histoire de Delphes. Archives des missions scientifiques et littéraires. II. série, tome II. Paris 1865) de belli sacri causis accurate disputans nostri loci, quantum quidem vidi, rationem non habet.

[4]) p. 154—157.

[5]) p. 155: „Unhistorisch ist somit Cobets verzweifelter Versuch" sqq. similiter E. Curtius III, p. 779 adn. de Boeckhio: „seine Deutung ist unerträglich künstlich".

[6]) cf. Hagenium ipsum p. 154.

[7]) cf. Boeckh. l. c. p. 778, Sauppii adn. ad *Πόροι* III, 7 (ed. Schneid.). utrum primam Atheniensium expeditionem an secundam anno 364 factam auctor significaverit cum Schaefero (Demosth. I, 99 adn. 2) in medio relinquo.

[8]) de Nicia uberius exponunt Boeckhius: „Ueber die laurischen Silberbergwerke in Attika." (Abhdlgg. d. Berl. Akad. d. Wissensch. 1815, p 124) et Buechsenschuetzius („Besitz und Erwerb im griech. Alterthum". Halle 1869, p. 590).

anno 413 in Sicilia occubuit, et Hipponicum[1]) civibus in memoriam reducit auctor, atque IV, 25: *μαρτυρήσαιεν — ἐν Δεκελείᾳ*[2]) optime consentiunt. —

§ 2. De rei publicae Atheniensium qui tum erat statu.

Praecunte disquisitionis parte usus maxime locis IV, 40 et V, 12 probare studui librum de reditibus ol. 106, 1 esse conscriptum. restat, ut perquiram, num ea quae de rei publicae statu ab auctore nostro tradita sunt in aliis quoque eiusdem temporis libris reperiantur.

exploremus igitur primum auctore nostro duce:

1. quibus rationibus Athenienses cum aliis Graeciae civitatibus usi sint,
2. quae domestica urbis condicio fuerit,
3. quae in universum de totius Graeciae rebus tradantur.

1. rebus publicis praesunt qui, quamquam quid iustum sit non minus aliis hominibus intellegere dicuntur, tamen multitudinis inopia se adduci contendant, ut iniustiores in res publicas foederatas se gerant. quas propter iniurias Athenienses in suspicionem Graecorum inciderunt (I, 1).

bello nuper gesto et civium et rei publicae copiae fere omnes consumptae sunt (IV, 40, V, 12). cui bello pace finis factus est (IV, 40: *πρὸ τῆς εἰρήνης — διὰ τὸ εἰρήνην εἶναι,* V, 12: *ἐπεὶ δὲ εἰρήνη κατὰ θάλατταν γεγένηται*). reditus post pacem compositam augeri coepti sunt (IV, 40: *ὅσα δ' ἂν ἐφευρίσκῃ διὰ τὸ εἰρήνην τε εἶναι,* V, 12: *ηὐξημένας τε τὰς προσόδους*). novum bellum et terra et mari exoriri posse non negatur (IV, 41: *εἰ πόλεμος ἐγερθείη,* V, 13: *ἢ καὶ ἄν τις ἀδικῇ τὴν πόλιν* sqq.).

summa imperii Atheniensibus erepta est (V, 5: *τὴν δὲ ἡγεμονίαν βουλόμενοί τινες ἀναλαβεῖν,* V, 8: *ἀνακτᾶσθαι τοὺς Ἕλληνας*).

2. multitudo ad inopiam redacta est (I, 1: *διὰ δὲ τὴν τοῦ πλήθους πενίαν — ἅμα τῇ τε πενίᾳ* etc.), cui ut remedia reperiat auctor operam dat. inquilini non ut decet tractantur. exiguntur ab eis quae aliquid ignominiae eis contrahere videantur. militibus gravis armaturae pugnandum eis est. de re publica non bene sentientes videntur esse (II, 5 *εὐνουστέρους ἂν ποιεῖσθαι*). agros possidere domusque aedificare eis non licet. pauci eique non boni Athenis considere cupiunt. intra urbis muros multum spatii vastum est (cap. II.).

etsi bonis nummis argenteis Athenienses utuntur et urbis situs peropportunus est ad emendum vendendumque, tamen mercatura non talis est qualis esse debet. nam mercatorum controversiae ab emporii magistratibus tarde dirimuntur. non satis est deversoriorum domorumque quibus mercatores et caupones uti possint (cap. III).

in argenti fodinis operarum inopia est (IV, 5). multi cives cum quaestu haud parvo servos ad colenda metalla locant. homines autem pauperiores et cautiores sunt quam ut novas fodinas aperiant (IV, 28).

mores incolarum non laudandi videntur auctori. cives permixti cum barbaris in acie stant aliis magis quam sibi pugnae fortunam committentes (II, 3—4). viri in comparandis armis pulchris, equis bonis, aliis rebus consumunt argentum, feminae in vestibus pretiosis aureoque ornatu

[1]) v. Buechsensch. l. c.

[2]) de rebus Deceleensibus cf. Thucyd. VII, 27 plus viginti milia servorum ad hostes transfugisse narrantem. v. etiam adn. ed. Schneid.

(IV, 8). urbs neque bene ordinata est neque prompta ad pugnandum, cum neque iuvenes in palaestris neque ei qui praesidio sunt locis munitis neque cetrati studiose officiis suis fungantur.

3. in Graecia omnium rerum est perturbatio (V, 8: *διὰ τὴν ἐν τῇ Ἑλλάδι ταραχήν*): urbium aliae bella gerunt aliae in seditione sunt (V, 8: *ἔστι μὲν γὰρ πειρᾶσθαι διαλλάττειν τὰς πολεμούσας πρὸς ἀλλήλας πόλεις, ἔστι δὲ συναλλάττειν, εἴ τινες ἐν αὐταῖς στασιάζουσιν*). templum Delphicum non est, ut antea, sui iuris, sed sunt quidam qui a Phocensibus desertum occupare conati sunt.

hactenus auctor noster de rei publicae Atheniensis aliarumque Graeciae civitatum condicione. iam componam cum eius descriptione Isocratis orationes de pace et Areopagiticum. quarum priorem eo spectare quo liber noster iam Boeckhius docuit, cuius sententiam Onckenius [1]) quidem accuratius explicavit, Hagenius autem, id quod iure Sauppius ei exprobrat, plane neglexit. neque autem minus in rem meam futuram esse censeo cum Areopagitico libelli nostri comparationem, quae oratio et ipsa statim post pacem cum sociis factam scripta est. [2])

videtur mihi non inutile ipsis scriptorum verbis uti.

---

[1]) l. c. p. 96 sqq. 109—151 negat quidem Onckenius bello sociali finito orationem de pace Isocratem scripsisse. utut res se habet, id constat bello sociali non in melius sed in peius res Atheniensium esse conversas. quamobrem spatium inter nostram et Isocratis orationem intermissum non obstare existimo, quominus inter se comparentur.

[2]) cf. Christiani interpr. Germ. praef. p. 374. A. Schaefer Quellenkunde p. 45.

auctor libri *Πόροι* inscripti. (ed. G. Sauppii).	Isocrates (ed. Benseleri. Lipsiae. 1867.) de pace.	Areopagiticus.
I. 1. ἐγὼ μὲν τοῦτο ἀεί ποτε νομίζω, ὁποῖοί τινες ἂν οἱ προστάται ὦσι, τοιαύτας καὶ τὰς πολιτείας γίγνεσθαι.		§ 22. τοιούτους γὰρ ἤλπιζον ἔσεσθαι καὶ τοὺς ἄλλους, οἷοί περ ἂν ὦσιν οἱ τῶν πραγμάτων ἐπιστατοῦντες.
I. 1. ἐπεὶ δὲ τῶν Ἀθήνησι προεστηκότων ἐλέγοντό τινες ὡς γιγνώσκουσι μὲν τὸ δίκαιον οὐδενὸς ἧττον τῶν ἄλλων ἀνθρώπων, διὰ δὲ τὴν τοῦ πλήθους πενίαν ἀναγκάζεσθαι ἔφασαν ἀδικώτεροι εἶναι περὶ τὰς πόλεις, ἐκ τούτου ἐπεχείρησα σκοπεῖν, εἴ πη δύναιντ' ἂν οἱ πολῖται διατρέφεσθαι ἐκ τῆς ἑαυτῶν, ὅθενπερ καὶ δικαιότατον.	§ 29. ἡμεῖς γὰρ οἰόμεθα μὲν, ἢν τὴν θάλατταν πλέωμεν πολλαῖς τριήρεσι καὶ βιαζώμεθα τὰς πόλεις συντάξεις διδόναι καὶ συνέδρους ἐνθάδε πέμπειν, διαπράξασθαί τι τῶν δεόντων· πλεῖστον δὲ διεψεύσμεθα τῆς ἀληθείας. § 30. ἐκ δὲ τοῦ δικαίαν τὴν πόλιν παρέχειν καὶ βοηθεῖν τοῖς ἀδικουμένοις καὶ μὴ τῶν ἀλλοτρίων ἐπιθυμεῖν... § 31. εἰς τοῦτο γάρ τινες ἀνοίας ἐληλύθασιν ὥσθ' ὑπειλήφασι τὴν μὲν ἀδικίαν ἐπονείδιστον μὲν εἶναι, κερδαλέαν δὲ καὶ πρὸς τὸν βίον τὸν καθ' ἡμέραν συμφέρουσαν, τὴν δὲ δικαιοσύνην εὐδόκιμον μὲν, ἀλυσιτελῆ δὲ... § 46. καὶ τοὺς συμμάχους τοὺς ἡμετέρους αὐτῶν ἰδίᾳ λυμαινόμεθα καὶ δασμολογοῦμεν, ἵνα τοῖς ἁπάντων ἀνθρώπων κοινοῖς ἐχθροῖς τὸν μισθὸν ἐκπορίζωμεν. (cf. § 125.)	§ 62. ἐπεὶ καὶ τὴν ἡμετέραν πολιτείαν, ἣ πάντες ἐπιτιμῶσιν... § 70. ταῦτα δὲ διῆλθον δυοῖν ἕνεκα, πρῶτον μὲν ἐμαυτὸν ἐπιδεῖξαι βουλόμενος οὐκ ὀλιγαρχιῶν οὐδὲ πλεονεξιῶν ἀλλὰ δικαίας καὶ κοσμίας ἐπιθυμοῦντα πολιτείας, ἔπειτα τὰς δημοκρατίας τάς τε κακῶς καθεστηκυίας ἐλλατόνων συμφορῶν αἰτίας γιγνομένας, τάς τε καλῶς πολιτευομένας προεχούσας τῷ δικαιοτέρας εἶναι καὶ κοινοτέρας καὶ τοῖς χρωμένοις ἡδίους.
I. 1. διὰ δὲ τὴν τοῦ πλήθους πενίαν.	§ 19. τὰ περὶ τὸν βίον εὐπορώτεροι γιγνοίμεθα... § 46. εἰς τοῦτο δὲ μωρίας ἐληλύθαμεν, ὥστ' αὐτοὶ μὲν	§ 83. τὸ δὲ μέγιστον· τότε μὲν οὐδεὶς ἦν τῶν πολιτῶν ἐνδεὴς τῶν ἀναγκαίων οὐδὲ προσαιτῶν τοὺς ἐντυγχάνοντας

Πόροι.	de pace.	Areopagiticus.
	ἐνδεεῖς τῶν καθ' ἡμέραν ἐσμὲν ... § 47. ἡμεῖς δ' εἰς τοσαύτην ἀπορίαν ἐληλυθότες ... § 69. ἐκ τῆς παρούσης ἀπορίας... cf. § 127.	τὴν πόλιν κατῄσχυνε, νῦν δὲ πλείους εἰσὶν οἱ σπανίζοντες τῶν ἐχόντων· οἷς ἄξιόν ἐστι πολλὴν συγγνώμην ἔχειν, εἰ μηδὲν τῶν κοινῶν φροντίζουσιν ἀλλὰ τοῦτο σκοποῦσιν, ὁπόθεν τὴν ἀεὶ παροῦσαν ἡμέραν διάξουσιν. similia multis aliis locis.
I. 1. καὶ τῷ ὑπόπτους τοῖς Ἕλλησιν εἶναι.	§ 19. καὶ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν εὐδοκιμοῖμεν... καὶ πρὸς τοὺς Ἕλληνας διαβέβληκε ... § 29. ἔχθραι δ' ἡμῖν ἐξ αὐτῶν..... γεγόνασιν.	§ 81. νῦν δ' εἰς τοῦτο τὰ πράγματα περιέστηκεν, ὥσθ' οἱ μὲν μισοῦσι τὴν πόλιν, οἱ δὲ καταφρονοῦσιν ἡμῶν. § 8. τοῦ δὲ μίσους τοῦ τῶν Ἑλλήνων ... § 10. πρὸς δὲ τοὺς Ἕλληνας διαβεβλημένοι ...
I. 3. ἃ γοῦν πολλαχοῦ....		dissentit Isocrates § 74: ἐπίσταμαι γὰρ ἐν μὲν τοῖς ἄλλοις τόποις φύσεις ἐγγιγνομένας καρπῶν καὶ δένδρων καὶ ζώων ἰδίας ἐν ἑκάστοις καὶ πολὺ τῶν ἄλλων διαφερούσας, τὴν δ' ἡμετέραν χώραν....
II. 2. ἀφέλοιμεν δὲ καὶ τὸ συστρατεύεσθαι ὁπλίτας μετοίκους τοῖς ἀστοῖς.	§ 48. καὶ τότε μὲν εἰ τριήρεις πληροῖεν, τοὺς μὲν ξένους καὶ τοὺς δούλους ναύτας εἰσεβίβαζον, τοὺς δὲ πολίτας μεθ' ὅπλων ἐξέπεμπον· νῦν δὲ τοῖς μὲν ξένοις ὁπλίταις χρώμεθα, τοὺς δὲ πολίτας ἐλαύνειν ἀναγκάζομεν ...	
II, 6: πλείους τε καὶ βελτίους ὀρέγεσθαι ... II, 7: πάντες οἱ ἀπόλιδες τῆς Ἀθήνηθεν μετοικίας ὀρέγοιντο... III, 4. οὐ μόνον τοῦ κέρδους .... ἐπισπεύδοιεν ἄν. III, 3. πλείους τε καὶ ἥδιον ἐμπορεύοιντο.	§ 21. μεστὴν δὲ γιγνομένην ἐμπόρων καὶ ξένων καὶ μετοίκων, ὧν νῦν ἐρήμη καθέστηκεν.	§ 13. καίτοι τὰς εὐπραγίας ἅπαντες ἴσμεν καὶ παραγιγνομένας καὶ παραμενούσας οὐ τοῖς τὰ τείχη κάλλιστα καὶ μέγιστα περιβεβλημένοις, οὐδὲ τοῖς μετὰ πλείστων ἀνθρώπων εἰς τὸν αὐτὸν τόπον συνηθροισμένοις ...

Πόροι.

III, 3 sqq. ubi honorem et magistratibus et mercatoribus publice tributum rei publicae magnae utilitati fore auctor sperat.

III, 6, ὅτι ἀφορμῆς δεήσει εἰς αὐτάς.

IV. 33. ἱκανὴν ἂν πᾶσιν Ἀθηναίοις τροφὴν ἀπὸ κοινοῦ γενέσθαι.

IV. 51. πραχθέντων γε μὴν ὧν εἴρηκα σύμφημι ἐγὼ οὐ μόνον ἂν χρήμασιν εὐπορωτέραν τὴν πόλιν εἶναι, ἀλλὰ καὶ εὐπειθεστέραν καὶ εὐτακτοτέραν καὶ εὐπολεμωτέραν γενέσθαι.

et II, 4: καὶ κόσμος ἂν τῇ πόλει εἴη, εἰ δοκοῖεν Ἀθηναῖοι εἰς τὰς μάχας αὐτοῖς μᾶλλον πιστεύειν ἢ ἀλλοδαποῖς.

II, 6. βελτίους ὀρέγεσθαι...

cf. IV. 52.

de pace.

§ 43. ἡμεῖς δ'οὐδ'ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας αὐτῶν πλεονεξίας κινδυνεύειν ἀξιοῦμεν ἀλλ' ἄρχειν μὲν ἁπάντων ζητοῦμεν, στρατεύεσθαι δ'οὐκ ἐθέλομεν, καὶ πόλεμον μὲν μικροῦ δεῖν πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους ἀναιρούμεθα, πρὸς δὲ τοῦτον οὐχ ἡμᾶς αὐτοὺς ἀσκοῦμεν, ἀλλ' ἀνθρώπους τοὺς μὲν ἀπόλιδας, τοὺς δ'αὐτομόλους, τοὺς δ'ἐκ τῶν ἄλλων κακουργιῶν συνερρυηκότας, οἷς ὁπόταν τις διδῷ πλείω μισθὸν μετ' ἐκείνων ἐφ' ἡμᾶς ἀκολουθοῦσιν.

§ 46. ξενοτροφεῖν δ'ἐπικεχειρήκαμεν...

§ 69. ἄλλως τε καὶ χρώμενοι τοῖς ἤθεσιν οὐχ οἷς ἐλάβομεν ἀλλ' οἷς ἀπωλέσαμεν αὐτήν;

cf. § 127 sqq.

Areopagiticus.

§ 55. τοὺς δὲ πρεσβυτέρους τῶν ἀθυμιῶν ταῖς τιμαῖς ταῖς πολιτικαῖς...

§ 32. τοῖς δ'εἰς τὰς ἄλλας ἐργασίας ἀφορμὴν παρέχοντες sqq.

§ 24. αἴτιον δ'ἦν τοῦ ταῦτα τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν καὶ μὴ περιμαχήτους εἶναι τὰς ἀρχὰς, ὅτι μεμαθηκότες ἦσαν ἐργάζεσθαι καὶ φείδεσθαι καὶ μὴ τῶν μὲν οἰκείων ἀμελεῖν, τοῖς δ'ἀλλοτρίοις ἐπιβουλεύειν, μηδ' ἐκ τῶν δημοσίων τὰ σφέτερ' αὐτῶν διοικεῖν sqq.

§ 54. ἐπεὶ νῦν γε τίς οὐκ ἂν ἐπὶ τοῖς γιγνομένοις τῶν εὖ φρονούντων ἀλγήσειεν, ὅταν ἴδῃ πολλοὺς τῶν πολιτῶν αὐτοὺς μὲν περὶ τῶν ἀναγκαίων, εἴθ' ἕξουσιν εἴτε μὴ, πρὸ τῶν δικαστηρίων κληρουμένους, τῶν δ' Ἑλλήνων τοὺς ἐλαύνειν τὰς ναῦς βουλομένους τρέφειν ἀξιοῦντας, καὶ χορεύοντας μὲν ἐν χρυσοῖς ἱματίοις, χειμάζοντας δ'ἐν τοιούτοις, ἐν οἷς οὐ βούλομαι λέγειν, καὶ τοιαύτας ἄλλας ἐναντιώσεις περὶ τὴν διοίκησιν γιγνομένας, αἳ μεγάλην αἰσχύνην τῇ πόλει περιποιοῦσιν.

§ 76. ἀλλ' ἐμπεπτώκαμεν εἰς ἄνοιαν καὶ ταραχὴν καὶ πονηρῶν πραγμάτων ἐπιθυμίαν.

§ 82. τῶν δὲ περὶ τὸν πόλεμον οὕτω κατημε-

Πόροι.

cap. V.

de pace.

§ 30. παρ' ἑκόντων τῶν Ἑλλήνων τὴν ἡγεμονίαν ἐλάβομεν...

§ 76. οὕτω δὲ πιστευόμενον ὥστε τὰς πλείστας αὐτῷ τῶν πόλεων ἑκούσας ἐγχειρίσαι σφᾶς αὐτάς.

§ 42. κἀκεῖνοι μὲν ἐλευθεροῦντες τὰς πόλεις τὰς Ελληνίδας καὶ βοηθοῦντες αὐταῖς τῆς ἡγεμονίας ἠξιώθησαν...

§ 108. καὶ κυρίους γενέσθαι τῆς ἐκείνων (Λακεδαιμονίων) σωτηρίας;

§ 105. ἐκεῖνοί τε (Λακεδαιμόνιοι) πάντων αὐτοὺς ἀπολέσαι βουληθέντων ἐφ' ἡμᾶς καταφυγόντες δι' ἡμῶν τῆς σωτηρίας ἔτυχον.

§ 19. ἆρ' οὖν ἂν ἐξαρκέσειεν ἡμῖν, εἰ τήν τε πόλιν ἀσφαλῶς οἰκοῖμεν καὶ τὰ περὶ τὸν βίον εὐπορώτεροι γιγνοίμεθα καὶ τά τε πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς ὁμονοοῖμεν καὶ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν εὐδοκιμοῖμεν; ἐγὼ μὲν γὰρ ἡγοῦμαι τούτων ὑπαρξάντων τελέως τὴν πόλιν εὐδαιμονήσειν. ὁ μὲν τοίνυν πόλεμος ἁπάντων ἡμᾶς τῶν εἰρημένων ἀπεστέρηκεν· καὶ γὰρ πενεστέρους ἐποίησε καὶ πολλοὺς κινδύνους ὑπομένειν ἠνάγκασε καὶ πρὸς τοὺς Ἕλληνας διαβέβληκε

Areopagiticus.

λήκαμεν ὥστ' οὐδ' εἰς ἐξετάσεις ἰέναι τολμῶμεν, ἢν μὴ λαμβάνωμεν ἀργύριον.

cf. § 43 sqq.

§ 17. παρ' ἑκόντων τῶν Ἑλλήνων τὴν ἡγεμονίαν ἔλαβον...

§ 80. ὥστε τοὺς πλείστους αὐτῶν ἑκόντας ἐγχειρίσαι τῇ πόλει σφᾶς αὐτούς...

§ 84. καὶ σωτῆρας οὐ μόνον τῆς πόλεως ἀλλὰ καὶ τῶν Ἑλλήνων ἁπάντων γενήσεσθαι...

<table>
<tr><th>Πόροι.</th><th>de pace.</th><th>Areopagiticus.</th></tr>
<tr><td>cap. V.

cf. VI, 1.</td><td>καὶ πάντας τρόπους τεταλαιπώρηκεν ἡμᾶς. ἢν δὲ τὴν εἰρήνην ποιησώμεθα, καὶ τοιούτους ἡμᾶς αὐτοὺς παράσχωμεν, οἵους αἱ κοιναὶ συνθῆκαι προστάττουσι, μετὰ πολλῆς μὲν ἀσφαλείας τὴν πόλιν οἰκήσομεν, ἀπαλλαγέντες πολέμων καὶ κινδύνων καὶ ταραχῆς, εἰς ἣν νῦν πρὸς ἀλλήλους καθέσταμεν, καθ' ἑκάστην δὲ τὴν ἡμέραν πρὸς εὐπορίαν ἐπιδώσομεν, ἀναπεπαυμένοι μὲν τῶν εἰσφορῶν καὶ τῶν τριηραρχιῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν περὶ τὸν πόλεμον λειτουργιῶν, ἀδεῶς δὲ γεωργοῦντες καὶ τὴν θάλατταν πλέοντες καὶ ταῖς ἄλλαις ἐργασίαις ἐπιχειροῦντες, αἳ νῦν διὰ τὸν πόλεμον ἐκλελοίπασιν. ὀψόμεθα δὲ τὴν πόλιν διπλασίας μὲν ἢ νῦν τὰς προσόδους λαμβάνουσαν ....</td><td></td></tr>
<tr><td>cap. V.</td><td>§ 21. τὸ δὲ μέγιστον, συμμάχους ἕξομεν ἅπαντας ἀνθρώπους, οὐ βεβιασμένους ἀλλὰ πεπεισμένους, οὐδ' ἐν μὲν ταῖς ἀσφαλείαις διὰ τὴν δύναμιν ἡμᾶς ὑποδεχομένους, ἐν δὲ τοῖς κινδύνοις ἀποστησομένους, ἀλλ' οὕτω διακειμένους ὥσπερ χρὴ τοὺς ὡς ἀληθῶς συμμάχους καὶ φίλους ὄντας. πρὸς δὲ τούτοις ἃ νῦν ἀπολαβεῖν οὐ δυνάμεθα διὰ πολέμου καὶ πολλῆς δαπάνης, ταῦτα</td><td></td></tr>
</table>

Πόροι.	de pace.	Areopagiticus.
cap. V.	διὰ πρεσβείας ῥᾳδίως κομιούμεθα. cf. §§ 134—140.	
	§ 12. θαυμάζω δὲ τῶν τε πρεσβυτέρων, εἰ μηκέτι μνημονεύουσι, καὶ τῶν νεωτέρων, εἰ μηδενὸς ἀκηκόασιν, ὅτι διὰ μὲν τοὺς παραινοῦντας ἀντέχεσθαι τῆς εἰρήνης οὐδὲν πώποτε κακὸν ἐπάθομεν sqq.	
	§ 16. χρῆναι ποιεῖσθαι τὴν εἰρήνην . . . πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους. cf. Onckenium p. 98.	
VI, 1. μεγαλοπρεπέστερον μὲν ἔτι ἢ νῦν ἑορτὰς ἄξομεν.		§ 53. οὐδὲ γὰρ τὰ περὶ τὰς θεωρίας, ὧν ἕνεκ' ἄν τις ἦλθεν, ἀσελγῶς οὐδ' ὑπερηφάνως ἀλλὰ νοῦν ἐχόντως ἐποίουν. οὐ γὰρ ἐκ τῶν πομπῶν οὐδ' ἐκ τῶν περὶ τὰς χορηγίας φιλονικιῶν οὐδ' ἐκ τῶν τοιούτων ἀλαζονειῶν τὴν εὐδαιμονίαν ἐδοκίμαζον ἀλλ' ἐκ τοῦ σωφρόνως οἰκεῖν καὶ τοῦ βίου τοῦ καθ' ἡμέραν καὶ τοῦ μηδένα τῶν πολιτῶν ἀπορεῖν τῶν ἐπιτηδείων.
VI, 1. τείχη... ἀνορθώσομεν.		§ 13. οὐ τοῖς τὰ τείχη κάλλιστα καὶ μέγιστα περιβεβλημένοις...
VI, 1. ἱερεῦσι... τὰ πάτρια ἀποδώσομεν.		§ 29. τὰς πατρίους θυσίας ἐξέλειπον... § 30. ...ὅπως μηδὲν μήτε τῶν πατρίων καταλύσουσι...
VI, 2. ἐπερέσθαι τοὺς θεοὺς sqq.		§ 29. καὶ πρῶτον μὲν τὰ περὶ τοὺς θεούς, ἐντεῦθεν γὰρ ἄρχεσθαι δίκαιον.

sed haec Isocratis orationum cum nostro libello comparatio quid utilitatis affert? non modo Isocrates urbis statum eundem depingit quem auctor noster, sed tam accurate tamque ardentibus quasi coloribus depingit, ut tamquam arbitros testesque nos faciat consiliorum et pravitatis eorum qui rei publicae praeerant, quaestionum de quibus pro suggestu dicebatur, studiorum factionum, urbis perturbationis, odii Graecorum. videmus quasi nostris ipsorum oculis mores Atheniensium fortunasque, multitudinem in capiendis consiliis fluctuantem mobilemque, novarum rerum cupidam, panem et circenses desiderantem, profusam divitum luxuriam, iuventutem voluptati deditam, alienam ab exercitationibus in palaestris, portus vacuos mercatoribus, colluviei undique confluentis plenas vias. sacra nova instituuntur cum magno splendore, negleguntur quae a patribus tradita sunt.

haec fere omnia apud auctorem nostrum inveniuntur, qui quae Isocrates uberius persequitur attingit, qui tum laudat quae Isocrates laudat tum quae illi videntur commendanda ea vituperat. ab utroque eaedem fere res tractantur, eadem consilia de Graecorum favore reconciliando, de summa imperii recuperanda, de paupertate publica tollenda eisdem fere verbis dantur. exempla quoque ex tempore praeterito sumpta quibus uterque utitur nonne fere eadem sunt?

quae si animo reputaverimus, nonne ex eis quae effecta sunt ea quae fecerunt colligemus? ut possimus, quaero, nobis persuadere de eisdem fere rebus eadem fere verba sed diverso tempore esse facta?

praeter has Isocratis etiam Demosthenis orationes hoc tempore habitae — adv. Androtionem et Leptinem — lucri aliquid praebent. affirmat enim orator rem publicam laborare de pecunia,[1] respicit belli periculum novi (cf. *Πόροι* IV, 41), de Thebanis cum animo quodam infesto dicit[2].

quae adhuc disceptavi satis mihi videntur esse ad evincendum summo iure Boeckhium aliosque qui cum eo consentiunt in ol. 106, 1 bello sociali modo finito libri scriptionem posuisse.

uberius de rebus quarum auctor mentionem facit disserere eo magis omittere licere mihi existimo, cum a Boeckhio, Onckenio, Schaefero de omnibus quae aliquo numero et loco sunt fere ubique adeo ad persuadendum apte disputatum sit, ut nihil addendum restet.

postquam autem, ut ego existimo, ubi consistam repperi non difficile videtur refellere quae porro Hagenius in contrariam partem affert.

negat vir doctus post cladem bello sociali acceptam fuisse, qui ut imperium ad Athenienses reduceretur exoptarent. „ne cogitari quidem potest, inquit, illo tempore factionem fuisse belli redintegrandi cupidissimam et in manus modum ordinatam, quippe quae auctori nostro ubique quasi simulacrum quoddam terribile insisteret eumque ad certamen acerrimum provocaret.[3]“ at meae quidem intellegentiae vim et notionem hoc non fugit. factum hoc esse cur negem, cum posse fieri tale quid nuperrimus usus docuerit? huius rei minime mirabilis quin causa facile repeti possit ex studiis partium illo et omni tempore Athenis acerrimis non dubito.

porro negat Hagenius post pacem quae bello sociali finem fecit Athenienses habuisse socios,

---

[1]) cf. Schaefer. Demosth. I, 157. adv. Lept. § 24: ὡς ἄρα δεινὸν εἰ ἐν κοινῷ μὲν μηδ᾽ ὁτιοῦν ὑπάρχει τῇ πόλει...

[2]) Schaefer I, 375 adn., 377.

[3]) p. 153: „noch weniger kann man sich in jener Zeit die Existenz einer korpsmässig organisirten Kriegspartei denken, wie sie unsern Autor überall als Schreckensgespenst verfolgt und die energischste Bekämpfung von seiner Seite hervorruft.“

in quos rei publicae rectores iniustiores se gerere possent: Demosthene enim auctore sociis sua iura et suas leges habere eos permisisse. sed videas Schaeferum (Dem. I, p. 167 adn.) et Onckenium (p. 105) rectius iudicantes.

Athenienses autem nisi oppressis sociis aliter inopiam tollere non potuisse affirmans Hagenius cum eis consentit qui tum rem publicam Atheniensem administrabant quosque auctor noster et Isocrates vituperant. sed illud ipsum utrique scriptori propositum erat, ut demonstraret optime tolli posse paupertatem, si suas ipsorum res cives melius constituerent, si urbis terraeque facultatibus quaestuosiore modo uterentur, si viam ac rationem a gubernatoribus laudatam reprobarent.

considerans denique quae Hagenius p. 157 sq. affert de reditibus post pacem Philocratis celerrime auctis, de aedificiis in mercatorum usum exstructis, de nimis magna urbis frequentia, de institutione *τῶν δικῶν ἐμμήνων* (p. 162), quas res omnes auctoritate nostri scriptoris effectas esse putat, vix me contineo quin existimem nimium auctoritatis virum illum doctum attribuisse libro nostro eiusque auctori. veresimile mihi quidem non est populum Atheniensem animo fuisse tam prompto paratoque ad statim perficienda ea quae oratores proponerent, sed cum Schaefero consentire malim dicente [1]): „Sie nahmen Bauten in Angriff, welche, gewiss schon längst als Bedürfniss erkannt, während des Krieges hatten verschoben werden müssen.“ praeterea persuaderi mihi non potest tempore tam brevi — ab ol. 108, 2 exeunte usque ad initium ol. 108, 3 — nimiam superfluentis populi frequentiam consiliis cuiusquam oratoris quamvis benevolis esse allectam posseque allici.

iam restat, ut prioris capitis summam brevibus colligam. est vero haec:

1. recta locorum IV, 40 et V, 12, quibus V, 9 non repugnare videtur, interpretatio aliaeque rationes docent et Delbrueckium et Hagenium perperam iudicare, vere autem Boeckhium libri confectionem in ol. 106, 1 ponentem.
2. quae alibi commemorantur res non supra ol. 104, 3 educunt.
3. Isocratis et Demosthenis orationibus illo tempore habitis quod Boeckhio visum est confirmatur. —

---

[1]) Dem. II, p. 288.

Caput II.

De sermonis indole.

Ut de sermonis indole recte iudicemus in primis quaerendum est, faciendumne nobis sit cum opere perfecto integroque. quod quidem Hagenius solus negat[1]), sed argumentis parum sufficientibus, ut annuere nequeam. quodsi in proximis paginis[2]) idem vir doctus ingeniose disputans in duas orationes ad populum habitas, quarum prior usque ad IV, 33, altera inde ad finem pertineat, diversas diversorum auctorum librum dissolvit, quominus cum eo sentiam nonnulla obstant. non enim satis mihi videtur ille exposuisse qua quis veterum ratione impulsus esset, ut utramque orationem contaminaret. accedit quod perversa opinione teneri eum puto, ut omnia ex antiquitate tradita esse emendatissima atque vitio ab omni remota credat. sed dubitari non potest, quin etiam inter veteres fuerint homines ingenii imbecilli, qui libris scribendis operam darent. ex eo quod in libro quodam sententiae inter se discrepantes reperiuntur nihil aliud illico sequi existimo nisi eum qui scripsit hominem fuisse sibi obloquentem inutilemque ad scriptoris personam suscipiendam. liber de reditibus non est carmen epicum et Lachmannos neque desiderat neque tolerat. inconstantiam vero auctoris plane evidentem et interpretatione minus contorta praeproperaque et artium rhetoricarum, id quod Hagenius ipse[3]) leviter significat, respectu habito ad intellegentiam accommodari posse aut certe aliquo modo excusari puto. quas ob causas et explicatione dictionis grammatica novae sententiae non favente cum persuasissimum mihi non sit Hagenium ferramento insecantium in loco recteque esse usum, in vulgari persevero sententia qua liber integer et ab uno confectus esse creditur.

de singulis autem quibusdam priusquam dico pauca in universum de libri forma habituque praemittam.

orationem librum esse putandum Weiskius senserat, Hagenius accuratissima argumentandi ratione demonstravit. at esse orationem ad populum re vera habitam num certis argumentis unquam confirmari possit addubito. assentior Weiskio et Hagenio[4]) in opusculo vigorem quendam animadverti dicentibus neque minus Bernhardyo[5]) certo numero ordinatius hoc ceteris Xenophonteis scriptis iudicanti. reperio in eo, quas idem Bernhardy librorum subditorum proprias esse contendit, alacriorem consociationem et iuvenilem iudiciorum accumulationem[6]). sed tantum abest, ut sufficientia

---

[1]) p. 166.

[2]) p. 162—165.

[3]) p. 164.

[4]) p. 160.

[5]) Syntax p. 453.

[6]) l. c. p. 23 adn.: „rasche Combination und jugendliche Anhäufung von Urtheilen."

haec mihi videantur ad diiudicandum, utrum liber de reditibus pro Xenophonteo sit habendus necne, ut ne singillatim quidem perlustrata dictione momentum posse afferri putem ad eam quaestionem. qui quidem mira industria et summa subtilitate Xenophontis proprietates perscrutatus est. numquid Sauppius ex his certi aliquid de libri origine constituere ausus est? quid referret, si enumerarem verba huius libri dubia et suspecta, semel dicta, *ἅπαξ εἰρημένα?* omnia ea iam a Sauppio sunt composita [1]) docente primae classis in libro de reditibus quidem inesse 4, secundae 56, tertiae 6, sed in Cyropaedia 98—614—72, in Anabasi 83—433—35. in tanta librorum manu scriptorum infirmitate, in tanta fluctuatione sententiarum, qui libri Xenophontei existimandi sint qui non, in tanta editorum dissensione, qui utrum antiquiorum grammaticorum praeceptis et testimoniis ubique obtemperandum sit an librorum scripturae priores partes deferendae sint dubitant quique de orthographia, de hiatu, de interpunctione in diversas prorsus sententias discedunt,[2]) non possum adduci, ut harum rerum inquisitione controversiam disceptari posse credam. etiam virorum doctorum coniecturae, quarum Xenophontis libros plenos esse nemo nescit, utrum ei cui de opusculi cuiusdam Xenophontei auctoritate iudicandum est impedimento an usui sint quaerere licet. nam fere omnes eo consilio factae sunt, ut dignae essent Xenophontis ratione dicendique genere, etsi non satis constat librum hunc vel illum a Xenophonte esse scriptum. ut Schneider ad *Πόροι* I, 2 *ἃ ἐπενόησα* „mihi, inquit, ab aliena manu inserta videntur. Xenophonti *ἐπινοεῖν* non est considerare, sed excogitare, quod ab h. l. est alienum.“ cf. quae idem dicit ad *Πόροι* II, 3: *ἐκ τοῦ συντάττεσθαι ἀφεθῆναι* „seclusi praepositionem, inquit, nusquam a Xenophonte verbo *ἀφιέναι* additam hoc quidem sensu“. attamen idem Schneider ad II, 7 *καθισταῖμεν*: „mirum ita loqui ausum Xenophontem fuisse adhuc exulantem Athenis. quare hoc inter argumenta refero revocati Athenas aut alieni auctoris.“ Xenophontis scribendi usu Schneider emendationes suas probare voluit, etsi ipse dubitabat utrum Xenophon an alienus auctor locos quos emendaturus erat scripsisset!

quamquam res ita se habere videtur mihi, tamen pauca afferam quae ab usu Xenophonteo alienissima esse putem:

I, 7. *πολλὰ δέχεται ἐμπόρια.* cf. Spp. lex. p. 46: „*ἐμπορία* raro mercem significans. *ἐμπόριον* etiam rarius“. v. adn. ed. Schneid.

II, 2. *ἀτιμίας.* ad hoc Schneider: „recte *τι* addendum esse vidit Weiske. alioquin *ἀτιμίαν* dixisset Xenophon“. sine dubio Xenophon dixisset. itaque cum optimi codices praebeant *ἀτιμίας*, quod etiam Sauppius et Dindorfius receperunt, hoc nonne non Xenophonteum esse existimare liceat?[3])

II, 4. *ἐκ τοῦ συντάττεσθαι ἀφεθῆναι.* hanc constructionem Xenophonteam esse cum Schneidero nego.

II, 7. *τῆς Ἀθήνηθεν μετοικίας.* Weiskius et Portus: *Ἀθήνησι.* Gailius: „Les mss. n'autorisant pas cette correction conservons *τῆς Ἀθήνηθεν*, qui me semble très — bon, et que l'on traduiroit bien, je crois, par le droit de bourgeoisie, ou de cité venant d'Athènes

[1]) cf. append. III vol. V, p. 298 (ed. Bernh. Tauchn.), lexilog. Xenoph., Lipsiae, apud Teubn., 1869.

[2]) cf. ed. Saupp. I, praef. XVI sqq.

[3]) cf. Spp. lex. p. 115: pluralia aliquot commemorabiliora: *ἀφορίαι* IV, 9, *γεωργίαι* IV, 6, *ἐπιμέλειαι* III, 6.“

pour accordé par Athènes". Sauppius (ed. Schneid.) laudat Lobeck. Phryn. 128 exemplis hunc usum probantem. sed in Xenophonte tale quid reperitur?

IV. 13. ἀπ' αὐτῶν μὲν οὖν ἔγωγε ἀφ' ὧν μέλλω λέγειν οὐδέν τι ἀξιῶ θαυμάζεσθαι. cf. Spp. lex. p. 21 s. v. attractio: „rarior repetita simul praepositione". cf. adn. ed. Schn. in indice grammatico exempla dat Schneider et ex Platone et ex Isocrate sumpta, nullum ex Xenophonte.

sed leviora haec existimo quam quae vulgatam opinionem Xenophontis nomini librum addicentem vehementer labefactent. verum enim vero ad certiorem exitum me esse perventurum spero, si orationis summam atque quae suadeat auctor et quomodo diligentius perscrutatus ero.

summa igitur libri haec est: auctor vult probare res civitatis inclinatas sine ulla iniuria sociis illata restitui et imperium amissum Graecorumque favorem recuperari posse.

quae ut efficiantur postulat, ut inquilinorum rebus melius consulatur, ut mercatura iacens elevetur, ut metalla modo omnibus utiliore exerceantur, ut pax quacunque condicione conservetur. vult magistratus honoribus oblatis ad officia minus segniter praestanda impellantur (III, 3), mercatoribus aliisque de re publica bene meritis publice laudes tribuantur (III, 4 sqq.), qui rei publicae serviunt stipendia accipiant (IV, 51). fortunis omnium amplificatis nihil salutis rei publicae esse defuturum, mores civium meliores, animos ad pugnandum paratiores fore. Atheniensibus componenda esse bella inter alias Graeciae civitates oborta, curandum, ut templum Delphicum in pristinam libertatem redeat, ut mittantur Dodonam et Delphos qui deos consulant de rerum novandarum exitu.

quae auctor proponit quanti facienda ea sint, de eo hodie quidem fere una vox esse mihi videtur, postquam Boeckhius consilia singillatim perlustrata magis lectu iucunda quam salubria esse iudicavit. [1])

sed ut cogitationes suas civibus probet quibus auxiliis utitur? supra modum terrae Atticae naturam fertilem laudat, nimius est in praedicanda argenti fodinarum ubertate sempiterna, blanditiis et assentationibus omnium studia consectatur. vectigalium immunitatem se habituros esse sperare iubet divites, pauperibus summae abundantiae spem facit, inquilinis dignitatem equestrem dat. sacerdotum, equitum, senatorum iura, sacra, templa, muri, navalia, dei curae ei sunt. omnium rerum scientia floret, in primis rerum ad mercaturam et metalla pertinentium. aptum se praebet ad rem publicam gerendam, ad civium animos inter se reconciliandos, ad Graecos in gratiam revocandos. omnibus rebus quaecunque postulari possunt sibi videtur par esse. ut tribus absolvam — est homo vaniloquus et nugator. [2]) artes autem oratorias male adhibuisse et consilia sua parum diligenter eum attendisse, ut inconstantiae vituperationem effugere non possit, Hagenius (p. 163 sqq.) ita demonstravit, ut quidquam addere nequeam.

---

[1]) cf. Staatshaush. p. 781 sqq.: „Unklares ist in dieser ganzen Darstellung nichts, aber unbegründet beinahe alles". „Auch hier erbaut der Philosoph den Athenern ein Luftschloss." Ueber die laurischen Silberbergwerke, p. 137 sqq. Schaefer. Dem. I, p. 173. Buechsenschuetz. Philol. XXIII, p. 656. Delbrueckius quidem qui pleniore ore totum Xenophontem laudat, librum nostrum p. 87 „tertium egregium donum, quod Xenophon patriae placatae dedit", vocat, Guilhem de Sainte-Croix (Recherches sur les metoeques. Mémoires de littérature, Paris 1808, tome 48 p. 176 sqq.) consilia in inquilinorum commodum data dicit „dignes d'un sage politique."

[2]) cf. Curtii hist. Gr. III, p. 637: „der den Mund noch sehr voll nimmt."

iam vero, ut propius ad finem accedam, nostrum auctorem cum Xenophonte componam, cuius de moribus et ingenio etsi non ignoro non omnes idem sentire, tamen de certis quibusdam rebus qui mecum consentiant futuros esse spero.

non videtur mihi, ut Onckenio (p. 97) et Hagenio (p. 159) Xenophon nihil aliud fuisse nisi homo militaris variis iactatus casibus et asper, cum non dissentiam a multis scripsisse eum libros putantibus quibus etiam philosophum, virum rerum civilium peritum,[1]) quin etiam fabularum Romanensium quas vocant scriptorem se praestiterit. quam ob causam cumque Socratis disciplina et familiaritate uteretur, ab eius cogitatione non procul fuisse existimo de reditibus publicis augendis consilia dare atque etiam mercatoris personam paulisper induere. neque ego adstipulor Onckenio fieri posse neganti, ut homo militaris pacis studio flagret.[2]) attamen, etsi haec in universum disputata non prorsus comprobo, id saltem concedi oportebit usque eo militarem hominem Xenophontem fuisse, ut, si librum de reditibus scripsisset, in primis Athenienses fuerit hortaturus ad mercenarios quam celerrime missos faciendos. quae quidem res vel Isocrati, doctori umbratili, et Demostheni non minima inter principes causas videbatur esse morum perditorum, aerarii inopiae, paupertatis publicae et Onckenio etiam belli socialis.[3])

quae omnino de re publica Atheniensi instituenda Xenophontis fuerit sententia notum est. non in populari quadam dominatione, ut Socratis discipulus, rei publicae salutem ponebat, sed in optimatium imperio, nimio rerum Laconicarum studio et amore tenebatur.[4]) quin etiam ad regnum amplectendum cives scriptis suis praeparare eum voluisse veresimile est.[5])

ac talem virum Atheniensibus suasisse existimemus, ut rem publicam salvam fore sperarent et reditibus auctis et inquilinorum cura habita et stipendiis adolescentibus datis et pace sempiterna! pro certo affirmari potest Xenophontem ad patriam sublevandam et corrigendam consilia prorsus ab his differentia et homine rerum Laconicarum admiratore digniora daturum fuisse. numquid prisci Lacedaemonii — hos solos videlicet Xenophon admirabatur — in his rebus civitatis salutem ponebant? nonne in antiquis moribus, in sanitate corporum? ut peregrinorum patriaque profugorum urbs plena esset optabant? erant venales, ut acceptis nummulis rei publicae servirent, aut ignavi, ut pacem bellico honori anteferrent? unquam optimatium fautor populi et inquilinorum causam egit aut aget? vel dicam Socratem discipulum suum docuisse in cunctis quae humanam continerent vitam dominam esse pecuniam? qui cerebri ventricula perpetuo secum pugnantia Xenophonti attribuere verecundatur is talia eum scripsisse credere non potest. quod ita per se videtur mihi perspicuum, ut supervacaneum sit uberius de ea re disputare.

quas praeter nostras Hagenius p. 160 causas profert, quibus moti et Deventer et ipse de Xenophonte libri auctore dubitant, laudo approboque.

---

[1]) cf. Schleiermacher: „Ueber den Werth des Sokrates als Philosophen," (Abhdlgg. d. Kgl. Akad. d. Wiss. 1815) p. 55: „dass Xenophon ein Staatsmann war . . ."

[2]) cf. Ossiani (Fingal I, v. 117—118 interpr. Ahlwardti, Lipsiae, 1861) haec:

„Heischt gleich mein Arm die Schlacht,
Wünscht mein Herz doch Erins Ruhe"
sqq.

[3]) p. 137 sqq.

[4]) cf. Sauppii praef. vol. VI. ed. Schneid. et ed. Tauchn. I, XIII.

[5]) cf. Engel: „Xenophons politische Stellung und Wirksamkeit." Gymn.-Pr. Stargard. 1853. p. 7.

somnia autem Xenophontem civibus finxisse, vaniloquum fuisse, a se ipso dissedisse pugnantiaque esse locutum, quae vitia in nostro auctore erant reprehendenda, an nemo asseveret dubitaverim. quam ob rem quot Boeckhii et Hagenii vituperationes sunt totidem argumenta esse censeo quibus Xenophontem non esse opusculi nostri auctorem demonstretur.

quae cum ita sint, persuasissimum mihi est nostra quidem aetate neminem librum, si sine auctoris nomine traditus esset, Xenophonti vindicaturum esse. quam opininionem meam non mediocriter eo firmari puto, quod Corinthi Xenophon mortuus est.[1]) opus nostrum autem desiderat auctorem, qui cum scripsit Athenis versatus sit. qua alia ratione hic cum Isocratis orationibus consensus percipi potest? auctor nonne eum se praebet qui quae in Atheniensium concionibus disceptabantur ipsius auribus audiverit?

illud quoque neutiquam neglegendum mihi videtur, quod Xenophon circa annum 444 natus si anno 356 vixisset — quod dubito, quia cur Stesiclidi anno 359 mortuum eum esse perhibenti fidem denegemus cum Hagenio non intellego[2]) — fere nonagenarius fuisset, opusculum autem *περὶ προσόδων* non est nonagenarii, sed iuvenis.[3])

iam vero, cum ad finem disputatio pervenerit, superest, ut eius summam breviter complectar:

capite I operam dedi, ut librum de reditibus ol. 106, 1 statim post bellum sociale finitum scriptum esse demonstrarem.

capite II, ubi de sermonis indole totoque libri habitu egi et grammatica et psychologica argumentatione ab Xenophonte hoc opusculum abiudicandum esse evincere conatus sum.

ad extremum liceat tribus verbis meam ipsius de libri auctore sententiam significare. ratione eorum habita, quae supra de miro consensu concentuque nostrae cum Isocratis orationibus, de dictionis vigore, de inconstantia, de exuperationibus dixi, Isocratis discipulum aliquempiam eum fuisse arbitror, cui liber debetur. plus uno loco (ut Philipp. § 17 Bens.) Isocrates cum discipulis de quaestionibus tempestivis se disputare refert, et quidem saepius de eisdem (Panegyr. § 5). maxime vero memorabilis locus est *περὶ εἰρήνης* § 145: *τοῖς δὲ νεωτέροις καὶ μᾶλλον ἀκμάζουσιν ἠγὼ παραινῶ καὶ παρακελεύομαι τοιαῦτα καὶ λέγειν καὶ γράφειν* sqq. nonne credi potest ex discipulis unum hoc praeceptoris consilium secutum librum de vectigalibus scripsisse, quo se exhiberet oratorem eloquendi facultatis non spernendae, benevolum, plenum spei et fiduciae, cognitionis rerum bellicarum, metallicarum, ad mercaturam pertinentium modicae, discipulum modo assentientem praeceptori modo ab eo dissidentem, sed hominem inconstantem, verbis res augentem, tironem in ratione civili? qua coniectura et peccata auctoris et consensum cum Isocrate facillime explicari puto. utrum autem Xenophontis nepoti, id quod fecit Beckhausius in commentatione de Agesilao scripta,[4]) an eidem, quae erat Boeckhii sententia,[5]) cui libri de rebus publicis Atheniensium et Lacedaemoniorum noster liber sit attribuendus in praesenti quidem in medio relinquo.

---

[1]) v. Schaef. Dem. I, 170 adn., Sauppii praef. vol. I, p. XI.

[2]) p. 159.

[3]) cui opinioni meae non repugnare puto locum IV, 25, quo usus Schneider auctorem nostrum senem fuisse firmare studuit.

[4]) haec disputatio et multi alii libri, in quibus Letronnii Biographie universelle ancienne et moderne, vol. 51, L. Dindorfii ed. Oxon., C. F. Rankii De vita et scriptis Xenophontis (Berol. 1851) nomino, id quod valde doleo, non sunt prae manibus.

[5]) Staatsh. I, p. 175 (ed. I).

Vita.

Natus sum JOANNES DAVIDES KANITZ d. XVIIII. oct. MDCCCXLVII Dramburgii in oppido Pomeraniae patre Amando magistro et matre Carolina e gente Graser caris mihi et adhuc superstitibus. in scholis patriae urbis litterarum rudimentis imbutus vitae anno XII. gymnasium Cussalinense frequentare coepi. primae classis cursu ex dimidia parte absoluto per tres fere annos rei vehicularíae curator fui. quo officio deposito animum ad studia rettuli. anno post maturitatis testimonio gymnasii Gryphimontani instructus VII semestria Berolini philologiae studiosus scholis interfui vv. dd. Althaus, Bonitz, Curtius, Droysen, Duehring, Geppert, Harms, Haupt, Huebner, Kiepert, Kirchhoff, Mommsen, Muellenhoff, Steinthal, Trendelenburg. —